✠

IN DEI FILIO SIBI DILECTIS R. A. P. Magistro Fr. Antonio Aurteinechea, Provinciæ nostræ Sancti Antonini Novi Regni Granatensis, aliisque in Evangelicam Messem præordinatis.

NOS Fr. ANTONINUS BREmond, Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus: Salutem promissam Operariis æternam mercedem.

DUM serio Christum consideramus Apostolos ad præparatam uberem Animarum Messem in cœlestia locandam horrea adhortantem Joann. cap. 4. his verbis: *Ecce dico vobis levate oculos vestros, & videte Regiones, quia albæ sunt jam ad Messem*; non possumus non paternæ nostræ sollicitudinis, & debiti esse memores; fervemus, & meritò in opus Evangelicum, singulari animi ardore ferimur in Mysticam Messem Animarum, gentilitatis tenebris involutarum, & Operarios mittere festinamus. En dilectissimi in Christo Filii levate oculos vestros, & videte, quam copiosa sit Messis in vastissimo Novo Regno Granatensi Indiarum Occidentalium, ubi multæ adhuc sunt Regiones gentium, quæ salutaribus Sacri Baptismatis undis tinctæ non sunt; quarum non modica pars ad oras fluminum

Apure,

Apure, & Aliles noſtræ Provinciæ Sancti Antonini ejuſdem Novi Regni commiſſa eſt: conſiderate quod, & ſi non ſine laboribus, periculis, inædiis, aliiſque defatigationibus Religioſorum præfatæ Provinciæ, ultra undecim millia ex illis Idolorum cultoribus, Deo adjuvante ad fidem Jeſu-Chriſti pervenerunt, & ex lupis ferociſſimis facti ſunt agni manſueti, reductis jam, & vitam Chriſtianam, & humanam ducentibus in quindecim Populis adunatis ad Valles vulgò de Barinas, adhuc remanent quaſi infiniti parvuli petentes Sancti Evangelii ſpiritualem panem, & propter penuriam Religioſorum, non ſatis ſunt Miniſtri ad frangendum eis, qui aliàs, & ſi feroces Idolatræ, faciliter amplectuntur jugum ſuave Chriſtianæ Religionis, à Religioſis Ordinis noſtri illis prædicatum.

Eja ergo Filii chariſſimi monſtrate vos genuinam Sanctiſſimi Patri noſtri Dominici non degenerem ſobolem, certatim nomina veſtra in tam glorioſam expeditionem conferte: attendite ad petram de qua exciſi eſtis: attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos: attendite inquam Sanctiſſimum Patriarcham veſtrum ſalutis Animarum ſitientiſſimum, & ad Religionem noſtram omnium communem Matrem, cujus Inſtituti ſcopus eſt prædicare, & docere: induimini virtutem ex alto, & accingite lumbos veſtros in præparationem, & prædicationem Evangelii pacis. Æquum tamen eſt, ut huic Chriſtianæ Militiæ nomina dare volentium, Anteſignanum Ducem, ac Vicarium cum neceſſariis poteſtate, authoritate, juriſdictioneque præficiamus.

Quare harum ſerie noſtrique authoritate officii te R. A. P. Magiſtrum Fr. Antonium Aurteinechea, Procuratorem præfatæ noſtræ Provinciæ Sancti Antonini Novi Regni Granatenſis damus, inſtituimus, præficimus, datum, inſtitutum, ac præfectum declaramus Vicarium noſtrum, Caput, ac legitimum Ductorem omnium, & ſingulorum noſtrorum Fratruum, quotquot ex univerſis Hiſpaniarum Provinciis, te pro Jeſu-Chriſti amore, & Sancti Evangelii prædicatio-

ne

ne fidelitèr, ac religiosè comitari, & ſequi voluerint, ut illis nomine, & authoritate, ac vice noſtra velut propriis ſubditis tuis, tibique ſubjectis præſideas, & cum immediata à Nobis ſolis dependentia pleniſſimo jure præſis uſquedum eos, & eorum ſingulos intra limites prædictæ noſtræ Provinciæ Sancti Antonini Novi Regni Granatenſis realiter, & perſonaliter per te, vel per alium à te cum neceſſaria juriſdictione ſubſtituendum, ſiſtas, tamquam pariter à te eidem Provinciæ aſſignatos, affiliatos, ac ſimpliciter translatos. Interea ad hunc effectum præſentium tenore delegamus tibi, veluti Vicario noſtro in prædictos Fratres omnem illam facultatem, jus, regimen, & pro utroque foro ampliſſimam poteſtatem, qua tibi opus eſſe cognoveris ad eos, authoritate congregandos, mittendos, deducendos, advocandos, gubernandos, corrigendos, licentiandos, ac ſi ſingulorum, & omnium fores Ordinarius, & proprius Prælatus; atque circa illos, ac illorum quemlibet valeas exercere ea omnia, quæ ipſemet P. Provincialis Sancti Antonini Novi Regni Granatenſis intra ſuam Provinciam circa eoſdem, alioſque ſubditos ſuos poſſet, vel poteſt ſive de jure, ſive ex approbata conſuetudine, aut privilegio; quæ omnia tibi competere declaramus.

Porrò ne in hoc graviſſimo negotio aliundè tibi poſſint impedimenta interiſci, univerſis Prælatis, & aliis noſtræ curæ ſubjectis præcipimus in virtute Spiritus Sancti, ſanctę obedientiæ ſub formali præcepto, nec non ſub pœna excommunionis latæ ſententiæ, Nobis reſervatæ, quod in tuis, vel tuorum memoratorum ſubditorum cauſis nullo prætextu, colore, vel arbitrio ſe intromittant, neque ex illis Fratribus, vel Patribus, quos per ſupradictas Provincias ad hanc Sanctam Miſſionem collegeris, ac tuæ Provinciæ Sancti Antonini voce, vel ſcripto affiliaveris ullum à ſancto itineris propoſito revocare, detinere conſilio, promiſſione, metu, aut alio quocumque imaginabili modo directè, vel indirectè per ſe, vel alios (etiam prætextu melioris boni) divertere tentent, aut præſumant; & ſi aliquis ex illis abſque tua licentia in ſcriptis in aliqua alia Provincia detineri auſus fuerit,

ipſo

ipſo facto ſit privatus utraque voce inhabiliſque ad gradus, & officia, nec poſſit aſſignatus in ea Provincia commorari. Si tamen forſitan aliquem, vel aliquos inveneris minus aptos ad finem Miſſionis poſſis illorum aſſignationes, & affiliationes revocare, ipſoſque ſuis Provinciis, & Conventibus, unde exierant remittere.

Quod ſi autem ex quocumque improviſo eventu contingat, te per viam ſive ægritudine, ſive alio poſſibili caſu ab harum Patentium, & commiſſi muneris integra conſummatione ullatenus impediri, concedimus tibi, quod aliquem ex præmemoratis ſubditis tuis Virum gravem, & zeloſum poſſis in parte, vel in toto ſubdelegare, & ſi tibi expediri viſum fuerit, iterum revocare, & alium nominare; itaut exinde litteræ hæ noſtræ ſic de illo per te nominato intelligantur, proùt nunc de te intelliguntur.

Ac denique, ut hoc difficillimo Vicariatus noſtri officio ad adcumulanda meritorum fœnora utiliter perfungaris, præcipimus tibi in virtute Spiritus Sancti, ſanctæ obedientiæ ſub formali præcepto, ut intra vigintiquatuor horas ab harum tibi legitima intimatione, illud acceptes, ac ad executionem ſedulo te accingas. Omnibuſquè, ac ſingulis Patribus, ac Fratribus noſtræ curæ ſubjectis, præcipuè tamen illis à te, ut ſuprà aſſignatis, & affiliatis ſub eodem præcepto mandamus, ut te, ſeu verum, & legitimum ſuum Prælatum, & Paſtorem ſuſcipiant habeant, & venerentur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quibuſcumque, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die Aprilis 1751.

Fr. ANTONINUS BREMOND,
Magiſter Ordinis.

Regiſtrata fol. 1.

Fr. Joſeph Muñoz Magiſter
Prov. Terræ Sanctæ, & Socius.

Loco Si ✠ gilli.